



2b. 15



4 4
Quod fiat Deo pacis propitio
Ordinis philosophici in Viadrina Academia

DECANUS

M. TOBIAS

MAGIRUS

LOG. P. P.

Artibus humanioribus ac
philosophiæ operatos ad brabea industriæ
iplorum atq; virtutibus desti-
nata

amanter invitae

Et officiosè excitat.

FRANCOVRTI

TYPIS

HARTMANNIANIS.

Athenienses cum ludos essent gladiatorios
vicinarum more urbium in civitatem admis-
suri, Deionactem graviter obstitisse ferunt,
ed quod eorum Misericordia aras & delubra incoletet,
neq; fas esset, quæ ingenio disjunctissima, iisdem sedibus commisce-
ri. Mihi ex adversum ferme eveniat tuo, *Lector amande,*
iudicio, quo si non objurges, mixeris utiq; de otio lite-
rato, de humanitate, de honoribus quibus suos ma-
ctant Musæ, verborum fieri aliquid & incentivorum
propinatio tempore, quo tusorum bombustympa-
norum, quo stridor lituum clangorq; tubarum, sclope-
torum mugitus aures circumpullat, quo adsitarum re-
gionum & urbium fumus oculos intrat, abeuntium re-
deuntium unci, hastæ, mucrones exterrant, quo mili-
tari omnia tumultu repleta sunt, nullo non quem ter-
res habitura exitum fulguriti instar expectante. Ita
est sanè, eam in nos, aut nos in eam incidisse tempesta-
tem, quæ ab hora non multum abesse potest decretoria
qua non hostes duntaxat cum hostibus bello decer-
nant, id quod etsi totum ferinum, tolerabilius tamen
erat, non cum Antichristo Christianus, id quod usi-
tatis, non Antichristus in se arietet cornua, id quod
exoptandum magis, verum quos unum nomen, san-
guis unus, una fides, professio una copulat, unus aer
alio, una cingit patria, unum cœlum recepturum erat,
in se, in capita, in viscera sua cultros exacuant, sævi-
antque, & id tantò, proh infortunium! infensiori ira
quantò fraternas amor conjunctiores esse solet, hoc ab
omni pietatis, ab omni humanitatis alienum vicinia
est. Adhæc id acerbum magis, magisque miseran-
dum,

dum, eos qui pacis-feciales audire amant, tantorum
esse malorum liticines, & quæ hætenus severe verbis
prælia, nunc verberibus ac vulneribus miscere, & re
quasi heroicè ac divinitus gesta in sinu gaudere. *Hoc*
sine lacrymis nemo queat dicere, Æneas suspirat sophista,
si enim, quod addit, unde salus proficisci debeat, hinc pernici-
es ac perditio existit, quanam ratio salutis nobis reliqua est? No-
minibus antistites, revera autem satellites atq; adeo carnifices
hujusmodi (id quod tamen bona pace iterare verbum
liceat) *Drepanus panegyrista* usurpabat.

Sub sarmentis hætenus ignis delituit, nunc in flam-
mas sese crepitantes extulit, atque incendio non
Germaniam saltem, cujus jam pinguiorem devora-
vit partem, sed universam ferme Europam involvit,
in eundem omnia pariter fumum, nisi Deus ex machi-
nâ, resoluturus. Quantum humana mens per dio-
ptram quasi prospicit, fieri aliter non potest, sive huc
sive illuc rerum se vertant cardines. Ex ipsis audias
vel olitoribus fabulam, quam *Stesichorus* quondam in
re non planè ab simili *Himerensibus* conterraneis suis
recitabat: Cervus ubi equum pastu communi propel-
leret, hunc viribus semper minorem, consilium tan-
dem hominis implorasse, qui non id modo, sed & sup-
perias & victoriam obtulerit, equus si frenum recipe-
ret, sed *parta victoria abhinc eum dorso equitem, habenas ore gestare*
Et qui ex præteritis præsentia æstimant, non credunt
ex ulu lupinum abisse consilium, quo lupi è canibus
molossos in societatem pelliebant, quod inter il-
los statura & colore magis conveniret, in primum
quidem, catellorum, postilla & ipsorum canum in-

Epist. ad
Sarapion.

P. 426.

panegyri.

29. P. 25.

Aristot.

rhet. 20.

Horat. l. 1.

ep. 10.

ter-

Gabrias
fab, 28.

Is. 31. 3.

hist. lib. 41.
A.C. 1567.

Vid. eund.
lib 29. A.
1562.

lib 11. ep.
139.

ib, ep. 141.

terneccionem. Oculi sine vitio (*hostilis enim animi o-*
dium nihil prorsus cernit aiebat Callistus) struthionem
vident Libycam, quæ capite volucres, pedibus feras
circumscriptura est. Nisi historicus, meritò das
mnas *Thuanus* quod adeo audax in producendo spi-
rantes vel ex ipsa scena, personas: Calvinianorum &
Martiniarorum (sic ille) discordiam, utroq; Antu-
erpia eiecisse, catholicos restituisse: & Guisium non
ita pridem horum in sese invicem animos exacerbas-
se, ne si arma sumerentur in Protestantes, Germani
Galli; purioris confessionis in communem hostem
concurrerent.

Isidorus de monte Pelusio ita in eam jam ante clo-cc-
annos prospexit, ecclesiæ, quæ nunc agitur, ægrotan-
tis fortunam, & fatum, causasq; in eventum duxit, ac
si vivus vidensq; unâ perbiter, hæc ubi ad Hermoge-
nem Episcopum, id quod & Episcopos & non Epi-
scopos auscultare fas est, perscribit: *Charitas, ut acerba*
omnia ad te loquar, perit & evanescit, res ingentis pretij ac præ-
clara & splendida, & de qua, tum propheticus chorus vaticina-
tus est, tum Servator huc venit, ac denique Apostoli conciones
babuerunt, eaque quæ sanxerunt, cruore suo obsignarunt. Ac pro-
inde nostris duntaxat commodis quisq; consulentes, omissis com-
muni hoste, alij adversus alios arma induimus. Ac periculum
est, ne ille qui victus ac profligatus est, ob dissidia nostra collecto
robore, acceptam cladem sarciat, victoriamq; adipiscatur.

Nec omen ejus ad Theodosium presbyterum mi-
nus grave est: *Si dicere fas est, (fas est autem vera loqui,*
cum quis pro virtute pugnat) periculum est, ne divina prædicatio
ab ijs ipsis, qui eam tueri videntur, evertatur. Bellona-

rij sanè gentiles suos lacerabant humeros, suos conci-
debant lacertos, quo proprio litarent Divæ suæ, san-
guine; at à nostratibus de corio ludi ajunt hodie alies
no. Univerfa hæc, quæ vel idcirco supra querelam,
quod nemo cavet, animum tristi oppletum sollicitu-
dine à literis & operis omnibus in se abripiant, quæ
dum se hostis juratq; ad potentiam, immanitatem & in-
urias in fortunas, in vitam, in conscientiam, in defun-
ctorum busta & cineres, ipsos etiam manes, nos haud
obscure & nostros componere jubeant ad semissio-
rum & sarmentariorum patientiam, ad pœnitentiam,
& pœnam: nihilominus tamen interea turbarum, cum
solertibus nautis oculos cœlo, manus clavo defigi de-
corum esse arbitramur, & cum Imperatore bono vel
stantem mori oportere.

Vobis proinde Musarum pulli artium cura & So-
phiæ cultus à nobis hodie commendandus, vos qui li-
beralium disciplinarum circulo initiati, vos qui Mu-
sarum orgia celebrastis, in brabeuterium vocandi, idq;
cò majori contentione, quò rapidiore velut æstu, Lon-
gobardica barbaries & monastica illuvies, tranquilli-
tate rerum publ. & artium veneratione, binis ceu repæ-
gulis ruptis irrumpunt. Non eam laudamus philo-
sophiam, qua in sacris qui juvenantur, Joves, & Glau-
cos, & Portumnos & Neptunos, Pythagoras, Zoroa-
stres, Platonas, Aristoteles, Plinius ex pulpitis aurium
propinant, plenis q; poculis, sensui tenerrimo, fortas-
sis quòd & Dioscuri vox Paulo Apostolo aliquando
excidit; minus eam quæ magisterium sibi in fidem
arrogat: phaulosophia ea est & Rhodopæis nivibus fri-
gidior matzologia: at eam quæ sensim & subtiliter
asper-

aspersa, gravioris supercilij condit doctrinam, eam-
 que sine sensu cum dulcedine ac Venere in animos
 mittit, & sicubi res humana poscit, rationibus ex fide &
 oraculorum cœlestium armario ductis, ingenium hebe-
 tius, stringit, devincit vincitque. Viribus assitus man-
 dragoras, suavitatem quandam vino instillat quæ piti-
 fantes mirum in modum delinit, unde ea sit ignaros,
 ac succus mortiferæ ejus herbæ calici mistus, non jam
 voluptatem, sed detrimentum portat & nauseam: non
 secus philologia. Sapienter itaque D. BASILIUS
 Vir in quo cum sanctitate eloquentia certat atque do-
 ctrina, palma certè dubia, ætati bonæ hortamenta ad-
 dit, ut omnes omnino disciplinas degustent, à quibus
 quid fructus in animi culturam manare potest: Sicut
 enim, (hæc ex pluribus alijs verba ejus sunt) *inspectores*
remissioribus quibusdam coloribus velleræ imbuunt, antequam
vivum & pertinacem Amethystini aut purpureæ florem induant:
ita & nos ut solida honestatis solida jaciamus fundamenta, ope-
re pretium est, à teneris, mansuetioribus intingistudijs, priusquam
ad sacras augustioresq; literas accedamus, sic enim fiet, ut refra-
ctos in pellucido fontis liquore radios videre consueti, ipsum de-
um Solem acriori mentis obtutu contemplemur. Mino-
 ra omnino sicra ante majora inspicienda sunt, &
 choreæ ante facium gestationem celebrandæ, facesq;
 rursum gestandæ priusquam sacrorum Antistites in-
 mus, *erudicè monet melliloquus Synesius.* Id quod
 judicium à tantis viris, quorum prudentiam experi-
 entia ratam fecit, profectum, tantum apud eos qui-
 bus

Or. de util.
 ex Græcor.
 script. cap.

Syn. Dion.
 1.53. B.

bus falsitudo inest, potest, ut qui sunt hodie Philoso-
phici nominis mures, multo sane cōstare arbitrentur, si
tres uno commutentur obolo, ut falsè iterum Synesius
æstimat, quin cum eodem obrectatores hosce non ab
se sed *περὶ τῶν φιλῶν* hoc est, ingenij paupertate tales es-
se nec esse alios posse, certò statuunt, ut qui malignè
inseitiæ deprehensionem suæ vitantes, ad vitiosam
earum rerum, quas ignorant, criminationem con-
fugiant, & ut Synesio LUCIANUS adstipulatur,
in solæcismo aut barbarismo unum habeant remedi-
um, impudentiam. Adversus quos bambaliones alibi
spretæ injuriæ formæ philosophicæ publicè vindica-
vimus, suæque eam Divæ integram asseruimus. Nil
sanè verius eo Clementis Alexandrini verbo: *pueros es-
se philosophos nisi à Christo viri fiant*: sed non minus ille
verè ac eleganter: *Veritas, inquit, ex facie tanquam panis
necessaria est ad vivendum: quæ autem præcedit disciplina ob-
sonio similis est ac bellariis: desinente vero cæna suavis plas-
centula.*

Adeste ergo qui libastis adjiciale hoc epulum
quod primum quidem urit, post dulcescit. Adeste
qui in liberali pancratio animi lacertos masculè expe-
divistis: adeste, qui nec artes devovistis, nec quæ pro-
fana sunt sine sale jactitare præsumitis, qui tincturi ves-
tra colore philosophico, non maculaturi estis: adeste
qui in barbariem jurastis ingruentem, quantò eam
tumultus bellici properant invehere, tantò gloriosius
renitimini: dum alij pro libertate, vos & pro hac &
pro humanitate dimicant, profitemini & à sequi-
oribus secessionem facite: non adulationis vos
ille-

Dion. p. 41

Dial. de
Rhet. t. 2. p.
724.

l. 1. Strom.
p. 217. B.
cod. l. p. 234.
C.

Max. Tyr.
diss. 37.

illicbris convaso, ipsa vobis virtus calcar erit ad præmia: hæc enim debita, animus non nisi degener, aspernatur. Non oleastrum vobis xystarchi proponunt ordinis nostri, olympium, non pinum Isthmicam, non apium Argolicum, non mala pythica: sed præmium longe aliud, quod, si pulcritudinem intueamini, prensandum magis; si spectatorum commodum, proficuum magis; si accipientis decus magis amabile. Adferte polymathian & philomathian, eam nostra & Collegij nostri humanitate & singulari in vos studio temperate, & sic pentathlum aut heptathlum potius quod expositum vestræ est industriæ ac eruditioni, decerpite.

Cassiod.
l. ii. var. ep.
16.

Faveant superna dispositis; ut sicut nos virtutes collatis beneficijs invitamus: ita crevisse meritis honoratas conscientias approbemus: vovebat THEODORICUS rex ubi candidatum senatui Romano commendasset. *Nostris faveat supremum idq, Trinunum Numen auspicijs, ut sicuti virtutes collatis premiis invitamus: ita crevisse meritis honoratas conscientias approbemus.*

Valete. P. P. sub sigillo decanatus nostri IV.
Non. Febr. clo lcc XXI.



Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







4 4

acis propitio
iadrina Academia
N U S
B I A S
R U S
P. P.
nioribus ac
d brabea industria
itibus desti.
vitae
xcitae.

VRTI
S
N I A N I S.